VOTA AD NUPTIAS
VIRI
Pietatis, Humanitatis, ac Experientiæ laude
conſpicui,

DN. NICOLAI HUBNERI,
CIVIS TORUNIENSIS,

cum

Lectiſsima ac Pudiciſsimâ Virgine

MAGDALENA,
Prudentis ac Spectatiſsimi Viri

DN. ANDREÆ ACKERBAUM
CONSULIS OLIM GRUDENTINI
poſtea verò
*A*SESSORIS *J*UDICII CIVILIS IN
Veteri Thorunienſium Opido digniſsimi,
relictâ Filiâ, celebratas

4. Cal. Mart. Anno M. DC. XVIII.
fuſa
à
Docentibus in Gymnaſio Thorunienſi.

Typis AUGUSTINI FERBERI SENIORIS.

NICOLAO HUBNERO
ET
MAGDALENÆ ACKERBAUMIÆ
SPONSIS.

H*Ic ubi* Porta *novo nitet* Osmanea Sarajo,
Porta illa imperiis insidiosa sacris,
Sæpe Caragulam *potuisti Sponse vetustam*
Cernere, quæ Lethes phrurion *ante fuit:*
Immo & vidisti discrimine tutus ab omni.
Sic favêre tuis numina dextra viis!
Nunc autem fortuna tibi reflare videtur,
Afflatumq; aliò vertere velle suum.
Nam simul ac gestis turrim spectare nigellam,
Fortis ab exculto *quam posuit* vir agro:
Protinus erumpunt Genisari, *teq; videndâ*
Exploratorem turre domare volunt:
Tuq; nihil contra, sed turrim sponte subintras,
Et, quasi sis Bojus, boja gerenda placent:
Sic ut mirentur qui te novêre Sodales,
Falsaq; te Circes pocla bibisse putent.
Verum ego, dum turres inter quid cerno sit istas,
Hîc quoq; quod fuerit sors tibi prona reor,
Atq; ideo, totâ quod tu modò mente petîsti,
Corde, manu, pedibus, ore, stiloq; probo.
Turre mane clausûs, quâ te sors clausit amica,
Dum mens corporeo carcere clausa latet.

Seu

Seu lateat Phœbus, ſeu terris altior extet,
Sis ibi luce libens, ſis ibi nocte libens.
Interea non te clauſo claudantur in illâ
Qui ſimiles ejus, qui ſimilesq; tui.
Hæc ego reſpiciens ad Sponſæ nomen Hebræum
Tu, joca quæ parent, ſeria Sponſe vide.

CUNRADUS Graſer Rect.

AD SPONSUM.

ATq; Soli atq; Sali peragraſti Pergama; ſed non
Dicere cui poſſes, Tu mihi ſola places!
SPONSE, Tibi affulſit. Miror, cum deliciarum
Itala ſit Galli & terra Britanna ferax.
Nec miror. natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit & immemores non ſinit eſſe ſui.
Vitaſti ſcopulos varios, Scyllamq; Charybdimq;:
Et jam præfixum contueare ſcopum.
MAGDALIS *hic* ſcopus *eſt, quæ mentis terminat æſtum:*
Quæ Te pulchrali cinget amica quie.
De gemino geminum Tibi onus jam ſurgit Honoris
Marte. Tua hinc Virtus *Te* Pietasq; *beant.*
Nobilitat Virtus; Pietas *quoq; ſalva Maritûm*
Annumerat fauſtâ dexteritate Choro.
Gratulor, & voveo Clypeus *maneat Tibi ſalvus:*
Hubneridum germen pullulet inde: Fuat.

M. BASILIUS Czœln, ConR.

QUid non tentat Amor? Divos ſub Amore Poëtæ
Præcipuos etiam ſuccubuiſſe ferunt.
Cum tantum poſsit vis ignea amoris: eamus,
Quò nos cunq; volet ducere dulcis Amor.
Sic olim varias cum vellet viſere Terras
NICOLEOS HUBNER tactus amore gravi, A 2 E pa-

E patriâ egressus mores gentemq; POLONAM;
Atq; Aulam vidit Sarmatici Imperii.
Legato adjunctus bis vidit TURCICA Regna,
URBS CONSTANTINI quâ benè culta sita est.
Laudis Amor Juvenis mentem tunc impulit audax,
Iret ut intrepidus per loca plena metu.
Quare hunc tendentem fœcunda PODOLIA vidit:
Quæ bobus Terras exhilarare solet.
Hinc illum excepit VALACHIA dives: & inde
ISTER, qui bino nomine lætus ovat:
Qui fluviis auctus per sex tandem ostia PONTO
Se jungit vasto, terram ubi THRACES arant.
BALCHANOS montes ferientes vertice cœlum,
Sicut jussit Amor, laus superasse fuit.
Et Sylvam infestam, densam, tristemq; feramq;,
Cujus ad introitum vel coma stare solet,
Faucibus atq; hæret sonus & vox, lingva tremore
Corripitur, membris robur & omne perit.
Magnanimus sylvam talem penetravit: iterq;
Confecit felix auxiliante DEO.
CONSTANTINOPOLIN delatus, tempore multo
Mansit ibi, mores vidit OTOMANIDUM
Mox novus erupit sub pectore fervor Amoris:
Neptuniq; illum jussit adire vias.
Quantum discrimen vitæ capitiq; minetur.
Navis, quæ vento turgida vela gerit;
Per mare quæq; volat, scopulos, occultaq; saxa;
Quæ cavet, assiduo quæ trepidatq; metu:
Hoc benè noverunt, quos talia adire pericla
Juvit: non illa est enumerare meum.
Posthabitis tantis tam diversisq; periclis
NICOLEOS HUBNER lætus adivit iter.
Conscenso Oceano, aspexit BULGARICA Regna,
Atq; ASIÆ populos ADRIACUMq; Mare:

Sæpius & VENETÆ eſt miratus mœnia gentis;
In fundamentis Artificum ingenium:
Morbus ibi illum bis proſtraverat: ac propè Morti
Tradiderat: vitam reddidit ipſe DEUS.
TYRRHENO pelago ſe ſe commiſerat: inde
ROMULIDUM populos cura videre fuit.
Impulit acer Amor ROMANAM viſere molem,
Chirurgos, Medicos atq; ibi noſſe bonos.
Et Chymicas artes, ſubtilia pharmaca flammis
Quæ pariunt, pariter viſere cura fuit;
Simplicia his terris incognita noſcere: raras
Et quas res alias Auſonis ora tenet.
Sic inter Medicos ROMÆ dum fortè favorem
Quæreret, hunc alius ſollicitabat Amor.
Nam tum, JOANNES ALBERTUS Dux RADIVILUS
Romani Princeps Inclutus Imperii,
Perluſtraturus regiones, Regnaq; cœpit,
Poſtquàm conſpexit, proſequi amore Virum,
Adſcivit comitem, ſecum deduxit ad ALPES
SABBAUDI & montes, ardua & alta loca:
Eſt ubi difficilis greſſus, præcepsq; receſſus,
Tranſitus haud facilis, fraude redundat iter,
Hoc comite adjuncto, Princeps RADIVILUS abibat
Felici fato per loca denſa dolis.
Invia Virtuti nulla eſt via: candida Virtus
Fundamen ſolidæ Nobilitatis habet.
Qui Virtute caret, licet huic ſit Nobile Stemma
Et priſcum; tamen is Nobilitate caret.
Virtus, Nobilitas incedunt paſsibus æquis:
Degeneres animos arguit omne ſcelus.
Hoc comite illuſtris RADIVILUS plurima Regna
Luſtravit fido, Regna remota procul.
GALLIA luſtrantes excepit, & ANGLIA, IBERI
Tellus, GERMANI tum loca culta ſoli.

Tandem

Tandem vos LITHAVÆ reduces gens excipit oræ,
Felicesq; jubet continuare dies.
Hîc novus exoritur rursus sub pectore fervor,
NICOLEONQ; urit lentus & ignis adest.
Perspectâ Princeps ejus Pietate Fideq;,
Præmia magna ultrò quippe ab amore tulit.
Est tibi, Sponse recens, monumentum, quod tibi Virtus,
Principis atq; boni gratia promta dedit.
Quem penes est virtus, prudentia cana, Fidesq;,
Hunc meritò Princeps quilibet ornat, amat.
NICOLEOS LITHAVIS dum charus habetur in oris;
In corde ecce ignes concipit ille novos.
En Patriam repetit: Patriæ est immensa voluptas,
Hæc nos progenuit, progenitosq; fovet.
Est natale solum vitâ jucundius ipsâ
Pro Patriâ, in Patriâ gnavi obiêre Viri
In Patriâ vixit fidos scrutatus amores:
Inconstans omnis namq; amor esse solet;
Excipias unum, quo nos DEUS urit, Amorem,
Omnis noster Amor non Amor est stabilis.
Instabiles animos quoniam gerit omnis: amorem
Instabilem instabilis sustinet omnis homo.
Hos ubi scrutatur, se MAGDALIS eminus offert
Virgo, quam Pietas, vita pudica probat.
Occultos ejus cordi hæc inspirat Amores;
Dicit & hic constans, crede mihi, uret amor.
Non tu discurrens posthac renovabis amores:
Nec loca lustrabis tu peregrina magis.
Hîc erit unus amor, Patriæ prodesse fideli
Consilio, atq; mihi subsidio esse tuæ.
Non ego te mittam posthac, ut lentus oberres,
Incertas quæras utq; subinde vices.
Hîc sta: te magnus jubet heic requiescere, magna
Qui magnis scripsit Scripta probata, Plato.

Ultima

Ultima Amoris erit varii meta hæc tibi, posthac
Hic simplex tibi erit, nec variatus Amor.
Sic Virgo dixit, pectusq; infecit Amore
Nunquam mutando: mutuus inde & Amor:
Nam Sponsi & Sponsæ pectus confixit: & unâ
Constrinxit stabili pectus utrumq; Fide.
Hoc in Amore DEus fructus proferto cupitos:
Quos tua Dextra piis suppeditare solet.
Hoc Voto claudo, claude ast DEus optime votum:
Sit sine lite torus, nec sine prole torus.
Posteritas crescat generosa, ac omnis abunde
Prosperitas thalamo Fata secunda vehat.

NICOLAUS HUBENERIUS, MAGDALENA.
Καθ' ἀνάγραμμα
HUC ADES, O MALI NIL NUBERE GNAVAS.
Sponsus NICOLEOS HUBENERIUS adspicit: atque
MAGDALIN alloquitur blandula verba serens:
HUC ADES, O formosa, MALI NIL NUBERE GNAVAS,
Gnavæ homines gnavos exhilarare solent.

M. ADAMUS FREITAG.

I Flos virginei nova Sponsa pudoris ad illum,
Quem tibi perpetuo fœdere junget amor.
J virgo, Hubneri mox cara marita futura,
Jllius & placidum disce subire jugum.
Scilicet hanc sortem posuit tibi dia voluntas,
Hunc individuo nectit amore tibi.
Nec dubita, quin qui cœptum modò promovet, idem,
Jn medio thalamum prosperitate reget.
Et finem tandem, serò tamen, ipse beatum
Post hujus vitæ gaudia justa dabit.

At tu

At tu , cui totam ſeſe dabit illa fruendam,
Sponſam Tutoris ſuſcipe Sponſe loco.
Et quali velles etiamnum patre foveri,
Talis in orbatam patre patronus eris.

JOHANNES THAMNITIUS.

QVem Sors inſtimulat loca
Per vaſtum Pelagi viſere diſsita,
Tempeſtatibus & feris
Exponit trepidum ſolicitudine,
Et tandem precibus diu
Speratum placido ſidere promovet,
Ut portùs videat locum.
Hunc factum reducem ſuaviter excipit,
Et tractat, velut unicè
Optatum, Patriæ limen honoribus:
Sic te Sponſe periculis
Jactatum variis ſuaviter excipit
Jucundæ Patriæ ſinus
Et factum reducem tractat,ùt unicè
Optatum,variis bonis,
Inter quæ tamen eſt Conjugium velut
Portus cum precio viæ
Decurſæ, Tibi quod proſit & augeat
Multis nomen honoribus.
Hoc FIAT! nihil eſt,plura quòd expetas.

FRANCISCUS Rothardus Mülh. Thur.